

DE EPULIS OPIFICUM: Von Handwercks Essen. 95

ant. Posses etiam in *solemnia & minus solemnia* dispescere; 265
à majori vel minori apparatu; quandoquidem interdum
prandium vel coena lautior, vel ordinaria solum, aliquan-
dò potus, modò solus modò cum caseo & pane datur, vel
pro more loci, vel liberalitate Patrisfam. Sunt enim hæc
opera superogationis, & ex cujusvis beneplacito pendent;
quantò erit largior, tantò celebrabitur magis.

§. 3. Convivia atque epulae quas *Opifices invicem* 266
exhibent, alia communi *totius Collegii* sumtu fiunt, dixe-
ris, *uff des Regiments Unkosten* / si tamen sumtus ex ar-
ca non sufficiant, symbola contribuuntur. *conf. Stat. Mar-*
sup. a. 2. & vocantur generali nomine, *Zebrungen bey*
den Handwercken oder Innungen / qualia fiunt in
Conventibus quartalibus, *uff denen Weyhfasten / Mei-*
stertagen / quando novi leguntur Primicerii, examinan-
tur Rationes, & Arca transportantur, *Werck-uff Ampts-*
Kösten. Item *Hochzeit* : unde *Gewandtschneider*
Hochzeit : Quale quid *Stetini Pomeranorum* 1594. 267
per biduum, *d. 28. & 29. August.* in curia Senatoria publi-
cè, solenniterq; celebratum fuisse, *Frideborn. L. 2. Rer. Ste-*
tin. pag. 147. memorie reliquit. Rustici solent dicere, *Se-* 268
meinde-Bier trincken / quando Tribunos suos creant,
Heimbürgen wehlen / unde actus seu congressus ipse,
dicitur *Heimber-halten* / quod est, Negotia communia
tractare, Excessus rurestres punire, Pastorem conducere,
& sim. Alia verò *singulorum* incumbunt loculis, & præ- 269
bentur *aut* à Majori minoribus, *aut* inter *Equales*, *aut* à
minori seu Inferiori Superioribus, *Primi* generis præbent
Primicerii collegiorum, quibus Munus istud tanquam
Honor primitus obtingit, cæteris Contribulibus sui ordi-
nis, tanquam in signum lætitiæ & gratitudinis pro delato
hono-